



Nicolaus apud Septentrionales Germanos natus, à teneris annis pietati & literis incubuit, atq; in utrisc; præclaram operam impendit. Cum itaque prima rudimenta in patria percepisset, sese hinc inde ad Academias Germaniæ contulit, atq; in illis (Saxonicas præsertim) plurimum profecit. Deinde ad Koppenhagensem Vniuersitatem & Danorum Metropolim peruenit, atq; artiū & linguarū studio Theologiam magna diligentia coniunxit. Accedebat etiam morum integritas, Euangelicæ doctrinæ amor, atq; rara dicendi facundia. Id cum eius loci proceres intellectissent, eum suæ Ecclesiæ ministrum elegerunt, atq; uerbo salutis oves concreditas pascere iisserunt. id quod ipse pro sua prudentia feliciter præstítit, & rara eruditione omnibus doctis innotuit. Scripsit is etiam uarios libellos, & in primis Euangelia dominicalia cum Epistolis pie explicauit, atq; fratres symmistas per Danorum & Noruegiorum regnum ad fidei constantiam & perseverantiam, contra uarias ingruentes passim absurdas opiniones & hæreses, adhortatus est. Hoc modo ipse in celebri illa schola etiamnum pergit, atque cæteris professoribus sua pietate & doctrina exemplo existit. Anonymos.